



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

737. Quid sit devolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

telliguntur, quando super pertinentia collationis directè non agitur, & cum Ordinarius non est in causa, vel provisus ab eo, sed alius habens à Papa vel Legato, vel aliunde provisionem, ut etiam patet ex *cit. Rota decis.* Garc. n. 145. citans Gabriel. & Rotam; nam contra Ordinarium non sufficeret talis probatio, nisi cum fama esset conjuncta alia species probationis. Garc. n. 146. juxta *decis. Rota. in una Parmensi. parochialis. de anno 1520.* in qua agebatur inter provisum ab uno canonico, & provisum ab administratore Ecclesie seu Episcopatûs Parmensis. & Cassad. *decis.* 1. de prob. Licet etiam, cum agitur contra Ordinarium vel provisum ab eo, non probetur pertinentia juris conferendi ad inferiorem sine quasi possessione; sed tunc solum, si cum fama concurrat longissima possessio conferendi, & conferatur de jure conferendi antiquo. Garc. num. 151. De cætero nihilominus sufficere viderit dicta fama & communis reputatio, etiam sine possessione, nisi ex adverso constaret de statu & possessione contraria. Garc. n. 152.

2. Probatur etiam jus conferendi ex statuto, seu concessione Episcopi confirmato auctoritate apostolica, etiam si non constet de quasi possessione & usu statuti, cujus observantia præsumitur ex ipsius publicatione. Garc. num. 153. & 154. Ut verò, dum alius est in possessione juris conferendi, doceatur de mala fide illius, vel etiam illa super inducatur ex manifestatione veritatis, antequam actus consumantur, v. g. præsentatio per institutionem, ac ita maneat elisa possessio, & absorpta per proprietatem, debe: de proprietate constare notoriè, id est, vel per confessionem, vel per rem judicatam. Lott. l. 1. q. 34. n. 28. citans Seraph. *decis.* 555. n. 8. vel per publicum instrumentum (nam & hoc quoque dicitur evidens probatio, & facere rem notoriam, juxta *c. cum dilecti. de donat.* ubi Abb. & Barth. in l. 1. de novi operis nunciat. Decium *conf.* 423. n. 9. & c. & non secus ac judicatum habet vim definitionis causæ, juxta Bald. *conf.* 333. num. 1. volum. 1.) Lott. nu. 29. & 30. citans Rotam in *Lucana jurispat.* 23. Januarii 1612. & in *Papiensi jurispat.* 8. Maji 1613. & c. quod tamen intelligendum, ait Lott. num. 31. modò non solum instrumentum sit in authentica forma, verum etiam si contra illud nihil (saltem coloratè) relevans opponatur; citat pro hoc Socin. *sen. conf.* 266. n. 4. Bursat. *conf.* 305. n. 3.

Questio 736. An, & qualiter collatori præservetur jus conferendi, dum beneficium spectans ad ejus collationem applicatur erectioni, seu in dotationem alterius beneficii?

1. Respondeo: in actu erectionis seu applicationis hujusmodi, quemadmodum præservatur patrono jus patronatus, ut Abb. in *c. suggestum. de jure patronatus.* n. 3. Roch. de *jurepat. v. honorificum.* n. 8. ita collatori præservatur jus conferendi pristinum, non solum in proprietate; sed etiam in possessione. Lott. l. 2. q. 21. n. 96. & seq. citans Rot. *decis.* 17. n. 5. p. 2. *divers.* & maxime, in *Calliensis juris conferendi.* 14. Maji 1621. ratio est non præjudicandi, quam non subvertit mutatio tituli, veluti facta per modum subrogationis; uti id probat Lott. n. 98. exemplo militis habentis castrum, quod custodire tenebantur quidam rustici, qui si castrum illud per bellum totaliter destructum reedificet, quamvis non eodem loco, sed ibi propè, censetur tamen illud reedificasse cum retentione ejusdem

juris circa custodiam sibi exhibendam per eosdem rusticos.

2. Potrò procedit responsio, etiam si Episcopus adhibuisset consensum collatoris, & is eum præstitisset. Lott. n. 99. cum enim hic consensus sit necessarius in unione seu applicatione talis beneficii pro dote alterius, actus ille adhibitionis & dationis consensûs referendus est ad hujusmodi causam necessariam, non ad quamcunque aliam voluntariam, inde capienda non est conjectura, ut voluerit Episcopus per hujusmodi actum requisitionis consensûs remitti à collatore, aut etiam is per præstationem illius consensûs remittere jus conferendi, sed potius illud promoverè, prout sibi magis erat utile. Lott. à num. 100.

PARAGRAPHVS VII.

De collatoribus, ad quos jure devoluto spectat collatio, sive de devolutione beneficiorum.

Questio 737. Quid sit devolutio?

Respondeo: est juris conferendi in alium transfertus, seu translatio ob culpam & negligentiam primi collatoris in providendo. Castrop. *rr.* 13. de *benef.* d. 2. p. 34. nu. 1. Tond. in *qq. benef.* p. 2. c. 3. §. 4. n. 1. Ballæ. *tom. 2. v. beneficium.* §. 4. n. 10. Lott. l. 2. q. 24. n. 5. unde patet per devolutionem conferendi potestatem pro illa vice revera removeri ac uno, nimirum à collatore ordinario negligente (quais revera pro illa vice privatus existit) & conferri alteri, nempe Superiori. Castrop. *loc. cit.* n. 4. citans Gl. in *c. 2. de concess. præb.* & Azor. p. 2. l. 6. c. 27. q. 16.

Questio 738. Cur inducitur devolutio?

Respondeo: ob utilitatem publicam, nimirum ne Ecclesia diu maneret in suspensio; cum enim huic in finem collatoribus omnibus præfixum sit tempus, intra quod de beneficiis providere debeant, ipsique in executione hujus decreti negligentes forent, Pontifex volens huic malo occurrere, statuit, ut elapso dicto termino potestas conferendi devolvatur ad Superiorem, qui negligentiam inferioris suppleret. *cap. 2. de concess. præb. c. licet. de suppl. negl. præb.* Castrop. *loc. cit.* Lott. l. 2. q. 24. n. 2. ac proinde licet aliàs regulariter cuilibet à jure concessum, moram purgare. *cap. potuit. de locato. & l. si quis post tres. ff. si quis cautionibus.* hæc tamen mora purgatio, in præsentem impeditur per ipsam legem, privantem eo ipso negligentem collatorem potestate conferendi. Castrop. *cit.* n. 4. citans Azor. *ubi ante. q. 16.* Barb. de *potest. Episc.* p. 3. alleg. 73. num. 169.

Questio 739. Ob quid contingat devolutio?

Respondeo primò: ob negligentiam seu omissionem provisionis intra tempus concessum ad providendum. *cit. c. 2. de concess. præb.* ubi Auctores. Garc. p. 10. c. 3. n. 1. Coraf. de *benef.* p. 1. c. 7. n. 8. Secundò ob provisum scienter indignum, seu inhabilem; cum idem sit (quia & gravius delictum) inhabilem promoverè, & neminem providere,